

# Beiband 2

## H.1 S. 30

1247.

[53]  
Abt Konrad IV. von Helmarshausen befundet, daß die Witwe des Bertold von Brunessen auf Güter in Wicmannessen und Haldungen verzichtet hat.

In nomine Domini amen. Conradus Dei gratia Helmwardensis abbas omnibus hoc scriptum inspecturis in perpetuum. Acta temporum transiunt cum tempore, nisi per scripti robur perpetuitatis capiant firma-

mentum. Hinc est, quod notum esse volumus universis ecclesie nostre filiis, tam presentibus quam futuris, quod Bertoldus miles de Brunessen bona in Wicmannessen et in Haldungen, quamdiu vixit, sub se habuit, ut ad domum pauperum et ecclesie pensionem inde persolveret; ipso vero decadente domus hospitalis et ecclesia libere et absolute bona sua cum integritate reciperet. Sed quia post mortem predicti B. militis vidua ipsius eadem bona sibi hereditarie usurpavit, mediante domino Conrado de Sconenberg aliisque viris discretis et honestis ad hoc inducta est, ut in manus nostras iam dicta bona cum filiis suis absolute resignaret. Quod et factum est. Ne igitur res gesta oblivionem pro memoria inducat, placuit presentem paginam apensione sigilli ecclesie nostre et viri nobilis domini Conradi de Sconenberg, qui presens erat, roborare. Huius rei testes sunt: Hartmannus decanus, Conradus camerarius, Hermannus hospitalarius. Milites vero: Reinboldus de Markessen, Johannes de Aldorpessen, Heinricus iudex, Bertoldus et Sigehardus fratres de Thesle, Stephanus iuvenis de Haldessen, Bertoldus de Asckendorp. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo. Amen.

Orig. Konventsiegel ab; Bruchstück des von Schonenberg.  
Druck bei Pfaff, S. 170 f. nach Overham V, 218.